Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2685
Quelle:
Copyright:

vigilia assumpcionis marie usque ad finem. Sed interjacet Index a *fol.* 279 — 284. Tum *fol.* 291. minio: *In vigilia Assumpcionis. De Archa domini et de eis qui in archa erant.* Initium Sermonis: *Beatus venter qui te portauit, luce 11. Boecius. Beatitudo est status omnium bonorum* &c. Haec Pars *fol.* 537. finitur in *Sermone* CCXI. Ad cujus calcem legitur: *Expliciunt sermones de sanctis scripti per paulum de Niclaspurga quondam studentem wienen. sub Anno Domini M°. CCCCXXX° feria secunda post festum sancte Elizabeth hora 4 post meridiem.* Huic quoque Parti adjunctus est Index, et primum quidem similis superiori, dein alter, quo docetur, quibus etiam *Dominicis* Sermones in hoc Opere contenti adplicari queant. Ad hujus calcem rursus minio legas: *Expliciunt sermones de tempore et de sanctis per manus Pauli de niclaspurga.* Tertia denique Pars a *fol.* 568. *Sermones* XXII. *de Festis B. V.* complectitur hoc initio: *De annunciacione beate Virginis. Ave Maria gracia plena. Tam in epistola quam in ewangelio gloriose virginis gloria multipliciter extollitur* &c. Nullus hic index, sed haec finalis clausula: *Anno domini Millesimo CCCCXXXI^mo finitus est liber sermonum per paulum de niclospurga &c. Deo gratias. laus christo qui viuit et regnat sine termino. Finis adest operis finales cupio laboris. date et dabitur regnum dei vobis &c. Finis adest operis deus sit merces laboris.* Cum in Parte I. inter alios habeantur Sermones de *S. Francisco, de S. Clara, de Translatione b. Francisci*, conjicere licet, autorem ad familiam FF. *Minorum* pertinuisse, cumque in ultimo horum Sermonum *Wicleffi* et *Hussi* affectae vellicentur, paene suspicor ipsum esse *Johannem Capistranum*, cujus circa hoc tempus acta in nostris regionibus neminem latent historiarum studiosum.

DCCXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 180. f. per duas columnas scriptus et rubricis distinctus, olim κτημα *Wenceslai Rossa* Sacerd. *Prossorovini* al. *Chrudimensis*, continet, ut *fol.* praevio notatum est: *Sermones cum postilla de sanctis tocius anni dicta Magistri Matej de Cracouia* (Krockow) *olim predicatoris prage in leta curia.* Sermo *primus* est in Festo *Andreae* Apost. in illud: *Ambulans ihesus iuxta mare galylee Matth.* 4. et incipit: *Hic dicit Haymo dominus ihesus christus usque ad tricesimum etatis sue annum secundum carnem non habuit discipulos* &c. et sic decurritur anni circulus usque ad Festum *Catharinae*, quod *Sermones de Communi*, ut vulgo dicitur, *Sanctorum* excipiunt. Nihil paene in his Sermonibus ex *Legendis* deprompt um est, sed verbis Evangelii et morum doctrinae insistitur. Ad calcem jacet clausula: *Finis postille de sanctis per circulum anni dicta magistri Mathei de Krocovia* 199